

conuerti uoluerunt ab omni
rectate sua. Habent cer
uicem & scilicet in melictio
te praesentant. ut nihil
suis meritis tribuan
tiae deputant. de hoc in
timeliter uita estantia
nullis quod de talibus aut
unt scilicet de uirtute inuit
ostendit in se omni nihil
nummo deest in se scilicet
multo necessarium si quis
eque quicquid quod in omni
tuit. Illi autem neglegere
unt alius in uilla sua.
in omne sua; Amiserunt

tantum assistentia in omne huius pre
sentis presentem uita: quod in mundi
delectatione spiritus animalis parat a pro,
Vnde dicitur; At illi in cogitauerunt & abierunt
aluis in uilla sua alius in negotiatio
ne sua; In uilla ite est in terrene
inmoderate inuicere; In negotia
tione uero ite est ad honorem uero ite
latum licet in uita; Quia enim
aluis in tentus labor terrene. alius
uero mundi huius ad honorem delectus
mysterium incarnationis dominicae
pensare & scilicet in illi in uita dissimul
lat quasi in uilla uel negotium in p
gens uenire ad regis in uita in seculari
in plerumque quod est in quibus in uilla
in uita in uita in uita in uita

Continetur hoc Volumine
JURCANI LIDDELI SCOTI
Disputationes,

Theses Logicae

Propositiones Astronomicae de diebus et Annorum differentijs

De facultate Vegetante.

De Philosophia ejusq. Instrumentis.

In IV. Meteororum de Misi generatōe . . . Diss. I.

In IV. Meteororum de Concoctione . . . Diss. II.

Diss. Pathologicarum, I. de Morbis.

II de Caus Morbor in græ.

V.

VI.

IIIX.

Diss. posterior de Praesagijs

de Peste diss. prior.

De Natura et Facultatib. medicamentorum.

De Compositione et Preparatōe medicamentor.

De Arthritide.

De ratione Purgandi.

De Phlebotomia, Hirudinib., Scarificatione

De Febribus Natura diss. I.

De Febribus II.

De Febribus III.

DEO OPT. MAX. AVX.

Præside clarissimo viro

D. FRANCISCO PARCO-
VIO ROSTOCHIENSE, PHILO-
sophiæ & artis Medicæ Doctore, ac eiusdem fa-
cultatis professore, & Decano: Academiæ
IULIÆ pro tempore Vice-
rectore Magnifico.

Propositiones sequentes

DE APOPLEXIA.

*Pro licentia sumendi DOCTORVM
Medicina insignia.*

Defendere conabuntur


IVLIVS IOANNES BOKELIVS.
IOACHIMVS REINEKE Magdeb.
physicus Burgensis.
IOANNES A PETKVM Hambur.

*Sorte citra ullam eruditionis præiudicium
ita collocati.*

Fiet disputatio loco consueto 30. Octob. hor. 7.

HELMÆSTADII typis Iacobi Lucij.

ANNO M. D C.



Faint, mirrored text from the reverse side of the page, including the word "APOLLIXIA" and other illegible characters.





IOHANNES BOKELIUS iunior:

de Apoplexia.

THESIS I.



Apoplexia Græcis ἀποπληξία, ab ἀποπληξίν, quod percutere vel ferire significat, quia æger quasi fulmine, plaga, vel malleo percussus subito concidit, ut magis nomen sit symptomatis, quàm essentia morbi.

II.

Celsus cap. 27. lib. 3. cum Hippocrate ἀποπληξίης non solum Apoplexia peculiariter sic dicta, correptos nominat, sed etiam medio corpore, vel parte aliqua resolutos, quomodo ἀποπληκτὸν crus appellant. Nos Apoplexiam de ea, quæ totum corpus occupat intelligere volumus.

III.

Est autem Apoplexia subita & omnimoda priuatio sensus & motus, & principum facultatum in cerebro, respiratione aliqua ex parte seruata, facta ex subita & insigni obstructione vel compressione ventriculorum, cavitatum, venarum & arteriarum cerebri, unde sicuti spiritui animali exitus vel descensus ad inferiora, sic vitali ad superiora ascensus vel aditus intercluditur.

IV.

Symptoma esse supra dictum est, & quidem in genere noxæ functionum animalium omnium, tam principum quàm motricis & sensibilis.

A 2

Locus



V.

Locus affectus vel subiectum morbi cerebrum secundum totam sui substantiam, & vt Gale. 3. de locis adfe. cap. 7. magis in reliquo corpore cerebri, quam in ventriculis.

VI.

Morbum autem, quem hoc symptoma sequitur, non intemperiem cerebri facimus, sed malam compositionem, vel morbum in cauitate vel via, quando nimirum spiritus animalis ex cerebro, propter obstructionem perfectam, vel contractionem & conuentionem effluere, vitalis verò influere non potest.

VII.

Causæ internæ immediatæ vel proximæ Apoplexiæ sunt humores simplices, vel in tumorem collecti, vt in inflammatione, & Erisypilate, quamuis de causis non vna eademq; omnium consensus.

VIII.

Simplices qui faciunt Apoplexiam sunt pituita & Melancholicus humor, licet Fernelius solam pituitam constituisse videatur. Rarius tamen à Melancholia, vt plurimum autem à pituita crassiore procreatur.

IX.

Galenus in libro de Curatione per sanguinis missionem cap. 6. quemadmodum & Auicenna sanguinem adiecerunt. Non semel enim dissecto cranio Apoplecticorum, obseruatū est, magnam copiam sanguinis per cerebrum effusam, aperta aut exesa aliqua vena, cerebrum secundum omnes ventres suos impleuisse, sed totam eius substantiam madefecisse.

X.

Obstructio quoq; vel interceptio Carotidarum & iugularium, & præcipue venarum & arteriarum in plexu retiformi non rarò Apoplexiam induxit. Subtrahitur enim ea ratione spiritui animali alimentum, quo subtracto spiritus deficit,

ficat, & vna cum spiritu actiones cerebri. Et in talibus Apoplecticis non mirum est, illorum ventriculos cerebri post mortem inanes fuisse inuentos, quæ quidem Apoplexia à præcedenti genere differre non videtur, cum vtraq; sit obstructio, licet in loco affecto sit differentia.

XI.

Galenus etsi secundo de placitis Hippocratis & Platonis cap. 6. negare videatur, Carotidarum & iugularium compressione, sectione & obstructione Apoplexiam inferri, intelligendum hoc, Galenum demonstrare contra Peripateticos non statim fieri Apoplexiam, quod accidere oportebat, si iuxta illorum sententiam animalis vis à corde per arterias cerebro & corpori influeret.

XII.

Auicenna solus à bile quoque Apoplexiam fieri scriptum reliquit, quanquam haud dubiè id non de sola bile, sed alijs humoribus commixta intelligi voluerit.

XIII.

Autor libri de flatibus, flatus etiam ventriculos & cauitates cerebri implere & Apoplexiam inducere voluit.

XIV.

In tumorem verò & abscessum colliguntur humores, quando adfectum inflammationi similem (vti Galenus in comment. 42. Aphoris. sect. 2. proponit) in cerebro producant.

XV.

Sic etiam, quando (quemadmodum Auicenna annotauit) post Phrenitidem Apoplexia emerget, Phrenitide enim immodicè aucta, & cerebri quoq; corpore inflammato, & sanguine sincero aut bilioso repleto, non raro dicta compressio oritur.

XVI.

Causa interna mediata fouens adfectum, temperatura

A 3

cerebri

cerebri frigida & humida, hæreditario iure à parentibus contracta, vel postea errore aliquo acquisita.

XVII.

Coniunctæ causæ sunt ijdem humores, vel flatus supra nominati, item abscessus actu cerebrum obstruentes vel comprimantes.

XIX.

Externæ vel Procatharticæ causæ sunt res non naturales vocatæ: Aër frigidus & humidus, frigidus stringendo poros cutis, & prohibendo vaporum in cerebro euaporationem, materiam multam in cerebro colligens: humidus verò cerebrum immodicè humectans. Aër quoq; calidior, & mora in Sole, fundendo & commouendo humores non raro Apoplexiam excitauit.

XIX.

Cibus & potus, qui magnam facit repletionem, & sanguinem in corpore abundare, vt in plethora & athletarum habitu, qui soluendus est, ne extra vasa erumpat: sic & cibi qualitas frigida, crassa & viscosa. Item & vinum vbi plus bibitur, quàm vt vinci possit, replendo & refrigerando Apoplexiam inducere potest, autore Galeno lib. 3. de Temperamentis cap. 2.

XX.

Sic & vigiliæ attenuando, dissipando & consumendo spiritus, vnde cruditates in stomacho & cerebro, languente facultate digestiua, nec non crudi coaceruantur humores, quibus sæpius fit obstructio, quam spiritus imbecillores, non facillè discusserint ac penetrauerint.

XXI.

Qui somniculosi in ocio viuunt, ac sese immodico cibo ac potu replent, & immodicum phlegma quiete cumulant, facilius in Apoplexiam incidunt, quam qui corpus ieiunum exercendo, calorem natium excitant, & superfluos humores dissipant.

Euacua-

X X I I.

Euacuationes consuetae diutius retentæ, Apoplexiam quoque inducere possunt, & quibus aluus est strictior, & urina supprimitur, nonnunquam Apoplexia corripuntur: Hi seroso humore, una cum sanguine ad cerebrum elato, repletionem, & obstructionem in cerebro efficiente: illi ex vaporibus crassis à facibus longius in intestinis hærentibus excitatis, & cerebri spiritus animales afficientibus, incrassantibus ac obscurantibus Apoplexiam sed leuiorem patiuntur.

X X I I I.

Cælius Aurelianus balneorum frequentem usum, quemadmodum & Veneris usum nimium in senibus præsertim, supra recitatis causis annumerat.

X X I V.

Omnia externa obiecta vehementius sensum & animam commouentia, quibus spiritus commoti humores concitant simul & sanguinem, qui aliquando ita exagitati ad neruorum principia defluunt, imprimis sanguis, si terrore subito & ira commotus ad cerebrum ruat ac impetum faciat, præcipuè in Plethoricis, inducere Apoplexiam potest: Sic & longa tristitia ac metus, quibus spiritus cordis & cerebri consumuntur ac debilitantur, ut leuem obstructionem in cerebro dissoluerint.

X X V.

Sic medicamenta soporifera intempestiuè intus exhibita, & Epithemata frigida, foris capiti applicata, spiritus cordis & cerebri congelant, & sanguinem frigidiorum reddunt & quasi coagulant.

X X V I.

Fortior quoque ictus vel plaga externa vel casus ex alto, à quibus caput percutitur ac vulneratur, cerebrum comprimit, & sanguine concitato omnes cavitates cerebri implet, ac deinde phlegmonem concitat.

I O A-



IOACHIMVS REINEKE

Magdeburgensis,

de Apoplexiæ differentijs
ac signis.

XXVII.

Hippocrates 2. Aphorif. 42. Apoplexiæ duas facit differentias, alteram fortem, alteram verò debilem.

XXIIX.

Galenus in citati Aphorismi commentario, & plerisq; alijs locis, iterum tres Apoplexiæ fortis gradus proponit: primus gradus est, quando aufertur respiratio. Addit Auicenna, non apparere spumam circa os.

XXIX.

Sed aduertendum in hoc gradu auferri respirationem, quoad adparentiam, quoniam quemadmodum Galenus & Aristoteles lib. de respiratione docent, animalia quàm diu viuunt, tam diu respirare, & vbi vel tantillum cessat respiratio, statim animal interire.

XXX.

Alter gradus est, in quo respirant quidem & respirare apparent agrotantes, sed difficulter & cum stertore. Addit Auicenna, spumam apparere circa os.

XXXI.

Tertius gradus est, in quo respirant quidem agrotantes sine stertore, sed inæquali & interrupta respiratione.

Apo-

XXXII.

Apoplexia debilis ea est, in qua respirant ægrotantes sine stertore, sine inæqualitate & interruptione.

XXXIII.

Ad leuem vel debilem Apoplexiam vnà cum Auicenna illam referimus, quæ ex compressione & obstructione Carotidarum; item quæ ex flatib. vel vapore crasso oritur.

XXXIV.

Signa quibus cognoscitur Apoplexia alia sunt Diagnostica, alia Prognostica. Diagnostica alia sunt distinctiua, alia indicant futuram.

XXXV.

Vt autem ab illis, quæ futuram indicant, initium faciamus, Auicenna ponit, Temperaturam frigidam & humidam, ætatem senilem, crapulam, victum frigidum & humidum, qui antecessit, obtusionem sensuum, capitis tumorem, dentium stridorem in somno, interruptionem sermonis, obliuionem continuam, Paralyfin se ad totum diffundentem. Verum hæc omnia & iure Cælius Aurelianus etiam futuram Epilepsiam denunciare annotauit.

XXXVI.

Apoplexia cum habeat cum multis alijs ægritudinib. magnam cognationem, Lethargo, Epilepsia, Caro & Catoche, præfocatione vteri, & syncope, sequentibus signis Diagnosticis distinctiuis distinguitur.

XXXVII.

A Lethargo differt, quod Lethargus semper fiat cum febre, pulsus rari sint, non ex toto, neq; semper auferatur respiratio, adsit magna inclinatio ad somnum. In Apoplexia verò pulsus validus & plenus, sæpe & ex toto aufertur sensus, respiratio læditur, & semper sine febre est, illa excepta, quæ ex phlegmonosa adfectione oritur.

B

Diffidet

XXXVIII.

Dissidet ab Epilepsia, quia in hac motus deprauatus est, in Apoplexia verò motus nullus aut valdè obscurus, item, quod hæc in Paralyfin, illa in pristinam valetudinem terminetur.

XXXIX.

A Caro & Catoche, & similib. differt, quia hi adfectus plerumq; sequuntur alios morbos, tum quia in ipsis respiratio non vitiatur. Apoplexia contra insperato, non post alios morbos contingit; spiratio in ea offenditur, & in Paralyfin finitur, quod non accidit in reliquis affectibus somnolentis.

XL.

A præfocatione vteri distinguitur, cum præfocatae audiant, intelligant, & recordentur, postquam conualuerunt, ad hæc solent præcedere querelæ circa vterum & foemur. In Apoplexia neq; audiunt neq; intelligunt aut recordantur, neq; eiusmodi de vtero & foemore querelæ præcedunt.

XLI.

A Syncope Apoplexia differt, quod pulsus in illa interceptitur, & vt plurimum non apparet, item quod ob reuocationem spirituum & sanguinis circa cor facies cadauerosa: In Apoplexia verò pulsus ferè semper adparet, neq; color faciei multum mutetur.

XLII.

Signa præsentis Apoplexiæ, quando homo subito concidit, & toto corpore resolutus sine respiratione, vel cum difficili respiratione cum stertore & spuma circa os iacet, ita deniq; vt similis mortuo videatur. Vnde fit, quod nonnulli gossipio, vel lana carpta, aut candela accensa, aut vitro aquæ pleno, vel etiam speculo ori admoto explorent, vtrum Apoplecticus respiret, vel strangulatione superueniente mortuus sit.

Apople-

XLIII.

Apoplexiam factam ab Apoplemate, palam fit, ex febre continua, & inseparabili: alias enim (teste Galeno) Apoplexia licet morbus acutus sit, tamen absq; febre esse potest.

XLIV.

Signa Apoplexiæ à sanguine sunt temperatura sanguinea, rubor & color faciei, repletio venarum frontis, & coloris nigredo, qui interdum adparet.

XLV.

Si à pituita facta cognoscitur temperatura frigida & pituitosa, tumore faciei, pallore, multitudine humiditatis, quæ primùm expuitur.

XLVI.

Apoplexia ex humore Melancholico innotescit ex habitu Melancholico, colore fusco, atate, &c.

XLVII.

Signa eius Apoplexiæ, qui fit ab obstructione vel compressione Carotidarum iugularium & venarum inplexu retiformi, describuntur ab Hippocrate 4. de vict. ratione in morb. acutis 26. Plurimis inquit eorum accidunt hæc: Faciei rubores, oculorum constantia, manuum porrectio, dentium stridor, maxillarum contractio, extremorum frigus, spirituum in venis interceptiones.

XLVIII.

Si Apoplexia fit facta propter compressionem ventriculorum cerebri, cognoscitur relatione astantium, quia vel casus vel percussio vel simile quippiam præcessit.

XLIX.

Si quæ ex flatibus & vaporibus oritur, cognoscitur, quod motum & sensum non plane tollat, sed solum stupidum reddat, vnde levis erit Apoplexia, vel potius adfectus

quispiam Apoplexiæ similis, neq; in Paralyfin, vt Apople-
xia saepe, sed in conuulsionem desinet.

L.
Senes ad Apoplexiam maximè procliues sunt 6. A-
phorif. 56. Et vere quidem & autumno, si ex sanguine (qua
tamen laborant iuuenes sanguinei) & melancholia: si ex pi-
tuitoso humore hyeme magis 3. Aphorif. 23.

LI.
Pueri omnium rarissimè Apoplexia tentantur, cum fa-
cultates animales robustas habeant. Expultrix enim fa-
cultas cerebri valida, propter suum robur, ita expellit pi-
tuitosos humores, vt minimè possit cavitates omnes im-
plere.

LII.
Magnitudinem Apoplexiæ metiri ex spiratione, supra
ex enumeratione differentiarum innotuit. Et sicuti per
sanitatem, natura sollicita, reliquis nervis obstructis, eos
solum, qui pectus mouent, seruat liberos: ita in Apoplexia
omnium partium sensu motuq; intercepto, sola spiratio,
naturæ quodam instinctu, ad extremum vsq; vitæ actum ser-
uatur, sed non integra. Omnes enim Apoplectici difficul-
ter spirant, nec nisi strangulatione accedente moriuntur.

LIII.
Apoplexiam fortem soluere impossibile, leuem verò
non facile. 2. Aphorif. 42.

LIV.
Apoplexia ex tumore vel abscessu lethalis.

LV.
Apoplectici si quidem à difficili respiratione sudor su-
perueniat, lethale. In ijs ipsi rursus, si quidem febris super-
ueniat, solutio: Hippocrate teste in Coacis prædictionib.

Qui

LVI.

Qui valentes capitis doloribus repente corripuntur,
& protinus muti fiunt & stertunt, intra septem dies intere-
unt, nisi febris interuenerit, 6. Apho. 51.

LVII.

Strangulati aut suffocati nondum tamen mortui, ad se
non redeunt, quorum circa os collecta spuma adparuerit.
2. Apho. 43.

LIIX.

Qui Apoplexia sunt obnoxij, cauebunt sibi, si vere ve-
næ sectionem vel purgationes instituerint, quemadmodum
Hippocrates 47. Apho. sect. 6. docet, id quod in autumnno,
maioris securitatis gratia Galenus in commentario eius-
dem Aphorismi repetendum præcepit.

LIX.

Capiti vt robur concilietur, præmissis vniuersalib. &
particularibus euacuationibus, extractum Pæoniæ, Calami
Aromatici Maioranæ; species Diamosci tam dulcis quàm a-
mari, Diambrae; conseruæ Betonicæ, Saluiæ, florum Peo-
niæ, Rosmarini Saluiæ; nux Indica condita, nuces Mo-
schatae, vulgares, Mithridatium, Theriaca, recta quantita-
te exhibenda erunt.



B 3

IOAN-



IOANNES A PETKVM,
de Apoplexiæ curatione,

LX.

Quod ad curationem attinet, Conciliator longam habet disputationem, an Apoplectici ante septuagesimam secundam horam sint curandi. Sed cum morbus sit acutissimus, & in talibus Celsus ex Hippocrate monebat celeriter agendum, vanam hanc disputationem esse apparet, & Apoplecticos non solum statim, sed etiam efficacissimis remedijs curandos.

LXI.

Ante curationem tamen certos nos esse oportet, vtrum adhuc viuat æger, an verò expirarit, id quod ex pulsu & ijs, quæ ori admouentur, facillè innotescit. Vnde Cornelius Celsus non immeritò narrat, Asclepiaden magnam gloriam adeptum Romæ, quod Apoplecticum, qui ad sepulturam ferebatur, viuere dixisset.

LXII.

Ex sententia ergo Rhasis & Auicennæ cautum fuit lege, ne Apoplectici etiam cum spuma, tradantur sepulturæ, nisi post septuagesimam secundam horam, cuius rei rationem adferens Conciliator dicit, humores nostri corporis perficere suos motus trium dierum spacio. Et disertissimè hic scriptor annotat, Christum saluatorem voluisse resuscitare Lazarum quatruiduanum, vt adimeret occasionem contemplatoribus, ne miracula tribuerent effectibus naturæ.

Apo-

LXIII.

Apoplexiâ forti percussum, nullus prudens Medicus curandum suscipiet, quemadmodum & qui debili Apoplexia laborat, non sine prognostico ab eo tractabitur.

LXXIV.

Uterius videndum an Apoplexia facta conseruetur à causis Procataceticis, quæ in tali casu omnes submouendæ.

LXV.

Diata pro differentia causarum variat, sed obseruandum vsq; ad mali declinationem nihil exhibendum esse, & tum demum, cum morbus acutissimus sit, tenuissimo victu utendum.

LXVI.

Si Apoplexia ex phlegmate vel Melancholico humore extiterit, versabitur & collocabitur æger in aëre calidiori, ut materia digeratur & dissipetur facilius. Ex sanguine si fuerit locabitur æger (& quidem ore aperto, ut melius respiret) aëre temperato.

LXVII.

Interna causa cum sit repletio, auferitur euacuatione. Totum igitur corpus euacuandum & potissimum his, qui eodem tempore maximè à capite reuellunt, ilicò utendum, glandibus acrioribus, cum virtus sensitiua sopita sit, ex hiera Logadion, Pachij, Colocynthide, & sale gemmæ; quibus etiam repetitis si nihil proficimus, utendum acri Clystere, qui etiam bis vel ter, si necessitas hoc exigit, tempore paroxismi repeti potest. Formulæ suppositoriorum & eiusmodi Clismatum pleni sunt libri practitorum. Mitioribus tamen si Apoplexia à flatu vel vapore, fortioribus, si à sanguine & compressione, fortissimis (si non metuatur excoriatio) si à pituita originem habuerit, agendum.

LXVIII.

Per os quoq; (si id fieri potest) quam primum pillulæ
Cochi-

Cochicæ, Foetidæ, Arabicæ, quemadmodum & fortiores Hieræ sunt exhibendæ, & si materia Melancholica sit, Cochicæ cum Helleboro, quæ vt melius deglutiantur in Decocto Stæchadis, Betonicæ, Rorismarini, Maioranæ, Saluiæ &c. solui debent.

LXIX.

Inter Medicamenta, quæ euacuant & reuellunt, primum locum venæ sectio sibi vendicat; quandoquidem quando venæ corporis sunt exinanitæ, ne detur vacuum, natura ab omni parte sanguinem & humores mittit, ad replendos locos exinanitos. Et sic in Apoplexia, quæ à sanguine est, item diathesi inflammatoria, & quæ ex compressione, quemadmodum & obstructione Carotidarum, statim necessitate urgente, nulla Purgatione, Glande vel Clystere præmisso, magno comòdo ægri venam incidere possumus. Ante perfectam enim operationem Cathartici fortassis æger morietur, commotis & non purgatis humoribus. Maius quidem à purgatione, sed non æque præsens expectandum auxilium, vnde Cornelius Celsus dicebat, nullum efficacius remedium esse sanguinis missione, nempe, quæ aut statim interimat, aut statim liberet.

LXX.

Cælius Aurelianus existimat sanguinem in Apoplexia (à pituita haud dubiè orta) mittere, esse hominem iugulare, quamuis & in hac ex Auicennæ sententia, si aliqua abundantis sanguinis signa simul adsint, sanguinem mittere non veremur.

LXXI.

Idem quoq; de ea pronunciamus, quæ à Melancholia ortum habet: In Apoplexia enim opus est non solum magno remedio, sed remedio, quod citissimè agat, & efficacissimè reuellar.

Aui-

LXXII.

Auicenna Saphenam incidi voluit, quod haud dubiè intelligendum, quando præcessit sectio venæ communis, vel Cephalicæ in brachio, aliàs tardum auxilium.

LXXIII.

Aretæus iubet attendere, in quam partem inclinet Paralyfis, & quando de eo certi sumus, sanguinem mittere in contrario brachio, si non apparet inclinatio, consulit vt mittatur in sinistro brachio.

LXXIV.

Vt autem tutius & expeditius sit consilium, statim mittatur sanguis à vena Cephalica dextri brachij, sic enim maior & celerior fit à capite reuulsio, & si menstrua vel hæmorroides, quæ fluere consueuerunt, sint suppressæ, paulò post Saphena etiam incidenda.

LXXV.

Aretæus sanguinem parcius, liberaliùs Auicenna mittit, sed quod semel larga manu, in sanguinea præsertim facit, ille repetitis vicibus præstat.

LXXVI.

Præter hæc reliqua reuulsionum genera non negligenda, & præter vociferationes validissimis frictionib. & ligaturis vehementissimis, cucurbitulis cum & sine scarificatione, quemadmodum & aurium atq; narium vellicationibus, item capillorum euulsionibus vtendum.

LXXVII.

Vomitus violentia expergiscitur, & reuiuiscit sensus & motus, propterea à multis commendatur, sed difficillimum est, attonitis antequam ad se redierunt, vomitum excitare.

LXXVIII.

Quod si ex compressione ortum malum, ne caput facile suscipiat, post venæ sectionem oxyrhodino vtendum.

C

Robur

LXXIX.

Robur quoq; Cerebro conciliandum ijs, quæ in præseruatione indicauimus, & insuper soluto auri, eiusdem tinctura, tinctura corallorū, oleo vitrioli, aquis compositis lilij conuallij, vel Apoplecticis Langij, Aegidij, quas in Euonymi secunda parte Gesnerus describit, ex quib. pro diuersitate causæ hæc vel illa erunt eligenda.

LXXX.

Præmissis purgationib. vniuersalibus, & ijs quæ maximè reuellunt, tutò nos ad illa, quæ peculiariter caput purgant, & deriuando materiam euacuant, conuertimus.

LXXXI.

In hunc vsum parantur Errhina vel Nasalia, quæ cum & sine sternutatione caput euacuant.

LXXXII.

Idem præstabunt venæ frontis pertusæ aut iugulares, si appareant, angusto foramine sectæ, & venæ narium setis porcinis reclusæ.

LXXXIII.

Perseuerante malo in pituitosa præsertim Apoplexia, medicamenta discussoria, quæ caput insensibiliter euacuant, adhibemus.

LXXXIV.

In horum numero faciliora sunt ea, quæ palato adfricantur. Theriaca antiqua Mithridatium, confectio Anacardina, quæ si palato Apoplecticorum inungantur, quosdam vapores de se mittunt in Cerebrum, qui vehementer humores dissipare & consumere possunt.

LXXXV.

His annumerantur suffitus & odoramenta ex Castoreo, Galbano, Opoponace, Sagapeno, Nigella &c. excitati: Arabes Muscho etiam plurimum tribuunt.

Enu-

LXXXVI.

Enumeratis remedijs, efficaciores sunt inunctiones discutendi vim habentes, quibus admiscemus, quæ robur cerebro addunt. Parantur ex oleo de Euphorbio, piperibus de Castoreo, Mithridatio, ol: Nucis Mosch. de raso capiti inunguntur. In eundem finem & Dropaces ex pice, oleo Ruthæ, Pyrethro, Sinapi, Pipere: quemadmodum & Sinapismi ex Sinapi Euphorbio Castoreo, cum aceto acerrimo, in massam subacta, admouentur.

LXXXVII.

Et ut secundum Rhasen à debilibus incipiamus, fomentum ex Camomilla, Maiorana, Betonica, Salvia, Serpillo, Origano, Nuce Moschata, Chariophyllis præmittimus.

LXXXIIX.

His omnibus non conferentibus ad ignem confugiendum, neque capilli tantum, ex sententia Rhasis, sartagine ignita comburendi, verumetiam caput tribus vel quatuor locis ferro ignito, usque quò æger paulisper excitari incipiat, inurendum.

LXXXIX.

Quod si ex tali vstione febris superueniat, tantum abest, quod metuenda, ut etiam magnopere expetenda sit. Hæc enim teste Hippocrate in Aphorismis & Coacis prædictionibus. Apoplexiæ remedio est.

XC.

Si nec hisce quicquam effeceris conclamatum est, ut plerique Apoplectici pro desperatis habentur.

FINIS.

hanc officina publica, ante colla

1776



hanc scripturam publicam, que...

nomine...

99 A 6903

(No. 24
nicht)

(25 Handschrift)

(9)


(No. Aufgezeichnet)

ULB Halle 3
 002 636 220


VD17

TA-OL





B.I.G.

Farbkarte #13

MAX. AVX.
 tissimo viro
CO PARCO-
IENSE, PHILO-
 Doctore, ac eiusdem fa-
 Decano: Academiae
 tempore Vice-
 magnifico.
 s sequentes
P L E X I A,
 li **DOCTORVM**
 insignia.
 onabuntur
 BOKELIVS.
 NEKE Magdeb.
 genfis.
 V M Hambur.
 tionis praeiudicium
 ocati.
 sucto 30. Octob. hor. 7.
 typis Iacobi Lucij.
 1. D C.

